

Bibliothèque numérique

medic @

**Barthelemot Sorbier, Pierre - candidat
/ Dubertrand, Roch - président. - [De
testium amputatione]**

1752.

***Paris : Typis Delaguette Regii
Chirurgorum Collegii
Typographi
Cote : ms 2342, n°16***



D. O. M.
 POSITIONES ANATOMICÆ
 ET
 CHIRURGICÆ.

EX ANATOMIA.



STUPENDUM Naturæ miraculum, Generatio: stupenda non minùs, quibus perficitur, organa. Varia hæc in utroque sexu; diversa in generatione obeunt munia; hinc copulationis blanda necessitas, hinc ad invicem fruendum amabili legitimæ Veneris cæstro uterque appellitur. Iis, pudendis non dicam, sed venerandis potiùs organis, ab ipsismet mundi incunabulis, ex Creatoris instituto, renovatur humanum genus; hæc societatis vinculum, hæc mutuam Marem inter & Fœminam constituunt commercium; hæc denique fecundissimum



propagationis rorem benignius stillant. At cum ea sit humana fors & conditio ut in ipsomet voluptatis sinu oriatur morborum indefessa cohors, sua etiam Genitalibus nascuntur incommoda. De Testium amputatione acturi, illorum structuram tantum proponemus.

TESTES seu Testiculi aut Didymi, numero duo, tres nonnunquam (a), raro unici (b), sunt corpora oblonga, figurae ovatae, lateraliter depressa, ovi columbini molem in viris aemulantia, aliquando majora, extra Abdomen vulgo propendentia, Scrotoque involuta.

INTEGUMENTA communia & propria sortiuntur Testes. Illorum unum & exterius a cute & cuticula oriundum, pinguedine destitutum (c), plurimis glandulis sebaceis, & pilorum bulbis intertextum, in duas partes mediante sutura peculiari seu Raphe a radice Balani ad Anum usque divisum, Scrotum seu Bursa virilis nuncupatur.

ALTERUM & interius, *Dartos* dictum, nervis, venis, arteriis que plurimis refertum, carnoso, cum pubis inferiore ramo adhaerente, panniculo constat: hinc Testibus oriuntur loculi peculiare quorum adunatione exurgit septum inter utrumque; hinc etiam qua de causa contrahatur, & rugosum quandoque fiat Scrotum potest colligi.

TRIPLICI membranarum serie peculiariter involvitur Testiculus uterque. Prima plurimis cellulis efformata, textus cellularis Peritonaei pars & processus, ab ipsomet originem suam mutuatur. Haec non tantum vasorum praeparantium plexum, sed etiam ipsum Testem, vaginae ad instar, continet, inde Vaginalis audit.

HUIC externae & lateraliter alteram constituens membranam adnascitur Musculus Cremaster seu suspensor, a Musculis obli-

(a) Horum exempla videantur apud Blasium, *Observ. Med. rarior*; Fernesium, *Pathologiae capit. 8. lib. 18.* & Graesium in tractatu de virorum organis generationi interservientibus; inde illi homines sic bene nati & salaciores, pugnae venereae & generationi aptiores evadunt.

(b) Consulat. Riolanus in *Antropophagiae lib. 2. cap. 31.* & Graesius loco citato, &c.

(c) In obesitate tamen adest nonnunquam pinguedo sine morbo peculiari; uti testatur Mangerus in *Theatro Anatomico, lib. 2. parte 2. capite 10.*

quo interno & transverso emissus³, in progressu suo supra Testem expansus membranam dat Erythroideam seu Rubram.

TERTIA dura, crassa, validaque admodum, à colore Albuginea dicta, exterius lavis, & aqueo humore perfusa, interius inæqualis, plurimas folliculorum instar emittit membranas exiguis Testium vasculis continendis, stabiliendis, proprio loco coercendis aptatas.

NERVIS, Arteriis, Venis tum sanguineis, tum lymphaticis, & vase excretorio gaudet Testiculus, quæ simul conjuncta Funiculum spermaticum constituunt. Arteriæ cum venis intortæ, textu cellulari involutæ, & versus Testem tendentes, furculorum numero & multiplicatione efformant corpus ab Anatomicis Pampiniforme seu Pyramidale dictum.

MINUTISSIMORUM vasculorum semen conficientium, albicansium, diversimodè intricatorum, mediante membranâ coacervatorura, congerie efformatur Testis substantia. In plurimis animalibus è Teste emergunt sex vel septem tubuli, tenuissimi, de latere in latum incurvati, majorem Parastatæ globum constituentes, in hoc tantum puncto concurrentes, indeque uno simplici ductu ad Vesiculas feminales excurrentes, liquoremque deponentes (a). Hinc quid sit sentiendum de corpore Higmori facile deduci potest, hinc etiam habitâ ratione usûs, Testem ad glandulas esse referendum cum Warthono probatur.

Ex margine Testis superiori surgit corpus, quâ parte ipsi non committitur, gibbum, quodam modo teres, latius non nihil quàm crassum, membranâ Albugineâ involutum; Epididymis seu Parastata nominatur. Plurimis efformatur tubulis serpentino ductu retortis, sed crassioribus eâ præsertim parte quâ vas deferens constituunt. Hoc primò cellulosum, postea latiori cavitate donatum, sursum ascendit vaginâ immersum, per annulos Abdominis transiturum, versus vesicæ posteriora reflectitur, indeque liquorem in Vesiculas feminales deponit.

A parte sanguinis subtiliori secretus, elaboratus, spiritibus refertus, pellucidus, blandus, tempore Ejaculationis per Urethram debito loco immittendus liquor, Semen constituit. Quid præstet ad generationem? Quinam sint ipsius in Œconomia animali effectus? à ratione & experientia deducendum.

(a). Videatur Graafius in tractatu supra citato.

 E X C H I R U R G I A .

HUMANUM decus, indicia virilitatis, præcipua generationis instrumenta, Testiculi. Exquisitis his-ce organis orbatos à sacris prohibet Religio, ab amplexu conjugali vetat Jus civile, tanquam inutiles arcet societas. Horum ergo recisionem non nisi invita suscipiat Chirurgia. Damnofa licet operatio, sola sæpè tuta fit anchora, præsertim in Sarcocèle (*a*). Hunc itaque morbum præcæteris expendemus.

TUMOR durus, inæqualis, ad schirri modum indurefcens, cum Testiculi aut Scroti intumescentiâ, carnis speciem præ se ferens, Sarcocèle vocatur. Hic morbus rarior, frequentior schirrus.

HUJUS mali non eadem sedes: cum duritie insigni, imò schirrosâ, aliquandò ferè ossea deprehenditur ipsâ Testis substantia; membranæ nonnunquàm propriæ aut Scrotum intumescunt; quandoque etiam tumens Epididymis adnascens Testi carnes mentitur (*b*). Hinc deducendæ præcipuæ morbi differentiæ, licet quàm plures alias mutuetur à simplicitate, aut compositione, causis, & accidentibus.

FIBRILLARUM extensio, vasculorum dilatatio, fluidorum stasis, depravatio in Teste aut hujus involucris, quidquid Arterias aut Venas comprimere, inflammationem producere potest (*c*), ut impura Venus, Gonorrhœa suppressa, Topica repercurientia incautè adhibita, vis externa quælibet &c. Sarcocèles causæ statuuntur.

(*a*) Notandum est hanc vocem, *Sarcocèle*, indifferenter usurpari apud autores tum pro tumore scroti, tum pro schirro Testiculi significandis, licet illi morbi essentialiter inter se differant; nam sarcocèle, idest, tumor carni similis in scroto tantum sedem habet; tumor verò Testium schirri indolem refert, & nunquam carneus est. Huic præsertim morbo competit castratio; nos tamen, ut usui fiat satis, verbum sarcocèle promiscuè adhibebimus.

(*b*) Hujus exemplum videre est apud M. Le Dran Colleg. Parisiens. Chirurgum, & regie Chirurg. Academ. Direct. Obs. 72. tom. 2.

(*c*) Sarcocelen ex acu in Testiculum infantis infixâ describit Saviard Chirurg. Paris. dum viveret, meritiss. Observat. 56.

3

TUMOR Testiculi schirrosus, tactu facillè dignoscitur, difficiliùs tumor Epididymidis, præsertim si majorem habeat molem, ita ut Testiculum ferè involvat. A densitate, durtie, & renitentia cutis Sarcocele Scroti habeatur. Tumor durus, parùm dolens, à causâ externâ oriundus, Sarcocele benignam; tumor verò dolens, à causâ internâ, cum Circocele, Varicocele, Nodis seu tumoribus Funiculi (a), malignam indicat.

A sarcoceles simplicitate, compositione, tempore, mole, sede, causâ & accidentibus deducenda Prognosis, varia que instituenda curandi methodus.

SARCOLES benignæ & recentis sanguinis missionibus, diluentibus, resolventibus medicamentis tum internis tum externis, digerentibus, balneis, fomentis, sudoriferis, victu tenui &c. variis pro mente Chirurgi imperandis, curatio tentanda; adhibenda que præcæteris fascia quam Suspensoriam vocant.

SARCOCELE recens aut etiam vetusta, modò absolutè non fit schirrosa, ab impurâ Venere aut Gonorrhæâ suppressâ, diluentibus primò, sudoriferis postea, Mercurialibus remediis internè adhibitis, aut etiam Hydrargirofi feliciter debellatur.

SARCOCELE durior, vetusta, ad schirrum accedens, dolens, à causâ internâ, exiguo temporis spatio producta, nisi tempestivè, & cautè admodum resolvatur, facillimè, nec sine vitæ periculo, in cancrum mutari experienciâ probatur (b), unde si per congruum tempus admotis remediis idoneis, nihil ex tumore minuatur, & Testiculus indecorè & cum doloribus pendeat, excidendus.

OMNIBUS ritè dispositis, cutis incidenda, dilatandus textus cellularis: processus Peritonæi Funiculum circumvolvens inspiciendus ne, si sit Hernia, lædantur Intestina aut Omentum. Plus-minus-ve pro re natâ ampliandus Annulus (c), callosa si que

(a) Vid. Le Dran *Opérations de Chirurgie* pag. 189.

(b) Vid. Clar. Heisterus institut. Chirurg. part. 2. de Sarcocele.

(c) Consul. Mag. de Garengéot *Opérat. de Chirurgie* tom. 2. pag. 326. troisième édition.

sint excidenda, hæmorrhagiæ Funiculi & Septi occurrendum.

TUMENTI Funiculo, vasisque spermaticis dilatatis & induratis inutile remedium, à quibusdam laudata, ligatura duplex; inutile etiam si in medio perforetur Funiculus, indeque injecto utrinque spleniolo firmius constringatur; tutior & sufficiens, si necessaria, ligatura simplex.

TESTICULUM à scroto resolutum, non mox resectum sed relictum, injectâ ligaturâ flaccescentem, putrefactioni committere damnosum & perniciosissimum censemus (a).

ARTERIÆ spermaticæ intrâ digitos contusio, ab Albucasi & P. Æginetâ proposita, à M. Le Dran laudata (b) parùm tuta, imò noxia quandoque probari (c) potest. Ferrum candens rejiciendum. Funiculo sano, & longiùs, quantum fieri potest, servato, omnibus mediis anteponenda ritè administrata compressio (d).

GANGRÆNA post contusionem, aut post vulnus Testem afficiens, non amputatione Testis, sed remediis anti septicis & supurationem blandè moventibus curanda.

TUMORI Testium absolutè cancroso, cum Funiculi spermatici callo altiori, & doloribus in Abdomen protensis palliativa tantùm competit curatio, excisio removenda.

SI morbus solam tantùm Epididymidem lædat, inutilis Castratio; tumor scapello quantum fieri potest, non verò Causticis debellandus; cautus tantùm post excisionem prodesse potest medicamentorum rodentium usus (e).

(a) Huic favere videtur Heisterus in institutionibus Chirurg. part. 2. section. 5. de Sarcocèle. Quid hac de re sentiat laudandus Sharp, videatur. Recherches critiques sur l'état présent de la Chirurgie. pag. 146.

(b) Le Dran Opérations de Chirurgie pag. 193.

(c) Vide Sharp. loco citato.

(d) Felici cum exitu nuper adhibita fuit in hoc casu compressio, mediante Agarico pedis equini facie, in Nosocomio Caritatis Parisiensis: imò Funiculum supra se revolutum & in situ mediante linteo carpro retentum hæmorrhagiam avertere testatur ex praxi propriâ clarissimus Actus Præses. His mediis præcaventur accidentia à ligaturâ oriunda.

(e) Vid. Dionis Opérations de Chirurgie, quatrième Démonstration.

7
QUÆ totum occupat scrotum Sarcocoele, irritis remediis generalibus, si maximam in molem accreverit, (a) Naturæ committenda.

(a) Waltherus prægrandem ejusmodi tumorem ultra genua pendentem proponit in actis Eruditor. Lipsiensium ann. 1725. & Dionis loc. supra laudato.

Has positiones, DEO JUVANTE, & præside M. ROCHO DUBÉRTRAND, in Universitate Parisiensi Artium & Chirurgiæ Magistro, nec non Scholarum Præposito, veri conabitur PETRUS BARTHELEMOT SORBIER, Sarlatensis, Artium Liberalium Magister, & Serenissimi Principis, Aurelianensium Ducis, Chirurgus ordinarius.

de Sarlat

PARISIIS,

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS.

Die Sabbati 15^a Julii, à sesqui-secundâ post meridiem ad Septimam. Anno Domini 1752.

PRO ACTU PUBLICO,

ET

SOLEMNI COOPTATIONE.

Typis DELAGUETTE Regii Chirurg. Collegii
Typographi 1752.

Quod si non esset...
...in materia...

...in materia...

IN REGIS CHRURGICORUM SCHOLIS

...in materia...

PRO AGEN PUBLICO

SOLEMNI COOPTATIONE

Theo. D. ...